Łopuszyński Joannis Alberti: Praemiatrix virtutum et meritorum sapientia.

PRÆMIATRIX
VIRTVTVM & MERITORVM
S A P I E N T I A,

IN

PERILLVSTRI, CLARISSIMO & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. M. RAPHAELE ARTENSKI,

Sacræ Theologiæ Licentiato, & Professore, Collega Majore, Ecclesiarum, Collegiatæ S. FLORIANI Florentiæ ad Cracoviam CANONICO, Parochialis Paięcznensis CVRATO, Contubernij Gelloniani PROVISORE.

Cùm

A

PERILLVSTRI, & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. M. MARTINO WINKLER

Sacræ Theologiæ Doctore, & Professore, Collegij Majoris Seniore PATRE, Ecclesiarum, Cathedralis Cracoviensis CANONICO, Sandomiriensis PRÆPOSITO, Kielcensi SCHOLASTICO, CVRATO Premycoviensi, S. R. M. Secretario.

In Florentissima Illustrium Hospitum, & Academici Senatûs Corona,

In Lectorio D.D. Theologorum

Sacræ Theologiæ, Doctoratûs insignia capesseret.

A IOANNE ALBERTO ŁOPVSZYNSKI,

Artium Liberalium, & Philosophiæ Baccalaureo.

in vim gratulatorij applausûs,

luci publicæ.

P R O P O S I T A

Anno Domini 1698.

PRÆMIATRIX
VIRTVTVM ET MERITORVM
SAPIENTIA,

ILlos tantummodo præmiare didicit;
Quos ingens aſsidui laboris premit anguſtia.
Priùs enim metiendi ſcopuli, ſuperandæ ſalebræ;
Antequam quis votorum ſuorum terminum aſſequatur.
Nemo inter Doctorales Laureas jacendo ſtetit.
Nemini ſedenti, victrix ad manus obvenit palma.
Laboranti Dij laborant.
Neſcit æſtimanda gloria alio ſeſe librare pondere;
Niſi quod à continua meritorum provenit gravitate.
Aliàs,
Albis ad Capitolium Honoris vehi non meruit quadrigis;
Qui priùs hoſtili non erubuit ſanguine:
Vel atrâ literatorum ſæpiâ, illuſtris non exſtitit.
Nigra dixeris Minervæ pigmenta, ſed formoſa;
Vt ipſis etiam decorem imprimant dignitatum ſubſellijs.
Nihil in Orbe ſplendidius ſudorum unionibus.
Nulla ad gloriæ portum via celerior;
Quàm per larga ſudorum diluvia.
Ita,
Profundum pelagus Iaſon ſulcavit carinâ;
Etiam in ſublime glorioſi Nominis ſaltavit culmen.
Ad nivoſam Rhodopen quæſijt hybernas Stylico;
Quia ad gloriæ adyta, aditus per ſiccum non videtur.
Nulla ſine difficultate gloria.
Viderat Cælum, Iovis illuſtrem Partum, ſed non priùs partum;
Antequàm ſecto capite, ipſe Iupiter ex capite laboraret.
Præſens Muſis Apollo, peſsimè diceretur Præſes;
Niſi priùs incurvare ſciviſſet arcum:
rectiſsimè primatum Honoris aſcenſurus.
Nitent & Tui hodie, coronati labores in publico
ejuſmodi dignitatis ſolio;
Perilluſtris, Clariſsime, & Admodùm Reverende Domine,
D.M. RAPHAEL CASIMIRE
ARTENSKI,
Sacræ Theol: Doctor, & Profeſſor Nobiliſsime

Cùm ita præcelſo dignitatis Tuæ glorieris ſplendore;
Vt omnem encomiaſtarum excedas conatum.
Primò balbutire deſieras, & jam facundos meruiſti Arpinates.
Dicam clariùs :
Necdum noviſti literas, jam a malo ſciviſti declinare.
Non priùs loqui, quàm dicere peritus copioſè,
Brevi tempore magnis æquandus Luctatijs.
Quippe teneriores tiliæ, quibus inſignitæ fuerint characteribus,
Eoſdem poſteritati recitabunt, & vetuſto monſtrabunt cortice.
Vix primis rudimentis intenderas;
Nunquam tamen rudem prætetuliſti mentem.
A teneris annis nulla Tibi ſcientia non Politica fuit.
Tuum Animum,
& cereum verè, verè & ſaxeum dicerem:
ut continui laboris exardeſcebas æſtu, ita nullâ mole frangebaris.
Primò novennis Annibal;
jam ad Sacras Apollinis Aras,
ductus amore Virtutis, & Sapientiæ, in odium amuſorum jurâſti;
Ne ſerperet ignorantia
Vnde quidquid dicebas, omnes a Te diſcebant.
Quos condiſcipulos habueras, illos etiam Tuos credidimus diſcipulos;
Nimirum: virtutis, & laboris Tui Studioſos.
Ideoq; cùm docereris, ſapiſti Doctorem.
Pòëticos metiendo pedes, non metiendam propriam monſtrâſti probitatem.
In Heliconijs ſaliens Montibus, Parnaſsiq; Cracij tranſiliens colles;
alatum Pegaſeo impetu ſecutus es Mercurium:
Merè Curius ab omnibus apellandus.
Cui,
Rhetorici magis ſapuere fontes; quàm dulces ambroſiæ.
Poſtquam non dicere, ſed fundere verba videreris:
etiam illa, quæ primò haurire debueras.
Patet & inde, non vile Tui Nominis argumentum:
ut, quot Oratorias ſparſiſti figuras, tot propriæ gloriæ faceres Incrementa.
Omnis Licentia, nullam contra vetitum produxit diſcordiam.
Quævis Gradatio, honorarij erat prænuntia gradûs.
Sola Tibi huculq; ignota Correctio;
quia habuiſti nihil, quod emendares.
Quodſi Diminutio, & Extenuatio ingenij viderentur;
viderentur non Tuæ, ſed aliorum.
Itaq; cum triumphante in Te Artium Regina Eloquentia,
Philoſophicæ Provinciæ aſcenſurus Majeſtatem;
Ianuam ſcientiarum Dialecticam aperiri Tibi voluiſti:
qua primum iter eſt, ad triumphos literarios.
Et hic.

in ul-

in ulteriores Stagyriticæ Minervæ progreſſurus campos;
compos victoriarum futurus:
ita glorioſè ſteteras ut nemini cederes,
Cùm id propoſueris firmiùs; ne deſineres:
Fundere argumenta, argumentatores confundere.
Vnde non immeritò,
Binis in Philoſophia inſignitus es Laureis:
quaſi vnâ tantùm nunqam deberes præmiari Coronâ.
Pluribus ubiq; inſignis:
Campeſtribus, in literaria arena;
Navalibus in immenſo ſcientiarum æquore;
Oualibus, & Triumphalibus, in quovis certamine,
Neq; aliter Tua gloria ſonat;
Quàm
quòd magna geſsiſti, majora obtinuiſti, maximus evaſiſti:
Duplicem Senioratum, multiplici virtute meruiſti.
Et quia Sapiens non ſemper it uno gradu, unâ tamen viâ.
etiam Tu,
non ſine ingenti conamine Claſsicam inſtruere cæpiſti Iuventutem.
Doctor Philoſophiæ, Ductor Tyronum, Dictator virtutum,
cùm bene loquendi doceres Artem;
& tardos velocius in Pierium Pindum duceres Attalos,
non minùs bene vivendi dictâſti normam.

Sub Te,

ipſâ fictitia Pòéſis, Schola veritatis fuit.
Quare à Tuis etiam Diſcipulis, bellè metitur Tua magnitudo,
quorum tanta patuit doctrinæ excellentia;
ut etiam
cùm non viderent cæſuras, optimè metra ſcanderent; documento:
Quòd in Humanitatis Gymnaſio, Te plus quàm hominem demonſtrarent
PROFESSOREM.
Ligatus Archias futurorum Arpinatum;
aut redivivus inter Tuos Rhetores Tullius,
quidquid tuliſti in publicum, publicam Orbis tranſcenderat famam.
Adeoq; dignas jam pro meritis, illorum capitibus impoſiturus coronas,
vel ne priùs in arenam deſcenderent Philoſophicam;
quàm certi victoriâ forent;
victrices illis Porphyrianæ Arboris propoſuiſti palmas.
Quanquam dubia certantium ſit alea, ſed tantùm ad Martem, non ad Palladem:
Dat Pallas docta coronas.
Meruerat enim ſub Laurea Tua, & Profeſsione,
gloriæ immortalis coronas,
Illuſtriſsima olim & Excellentiſsima
Domûs KRASINSCIANÆ Proles
Quæ erga Te

Veluti, erga Anaxagoram suum, gratissimi Archelai, & Pericles;
fervidiorem amorem excitando, gloriam ampliavit.
Dicerem procul dubio in omnes oras tantum abire Nomen;
& in nullis unquam obiturum plagis:
quod per Clarissimas Familias sparsum, in tot Familijs partum est.
Non potest sub rosa sincerus erga Te candor retineri;
Illustrissimi & Reverendissimi Domini,
D. CONSTANTINI LIPSKI,
Archiepiscopi Leopoliensis, &c.
sub cujus singularis gratiæ umbris,
Consistenti Tibi,
quisq; ulterioris fortunæ serenam præsagiebat meridiem.
Nec immeritò:
jam enim tunc Clarissimus Tibi resplenduit Honos;
cùm Minori Collegio, ut Cynthius Minoribus exorireris astris.
Cæterùm mille ornatus talentis,
unàm tantùm ornare non debuisti dignitatem.
Numerosis semper dignissimus titulis.
S. ANNÆ Canonicus factus,
Æquè optimus Cracij Heliconis Mystes, & Sacrorum rituum
Minister vocaturus.
Vtriusq; gloriam tulisti, utroq; gloriosus.
Et cùm ultro innumeras eruditæ mentis, ac virtutum geminares decades;
iterum Philosophicæ Spartæ inclaruisti Decanus.
Hunc in Honorem.
O quam admiranda fuit Tuæ Sapientiæ metaphora!
ut quod plerisq; insuetum, proprium Tibi videretur:
quod apud doctissimos invisum, Te apud Doctorem invidendum.
Hinc jam vocatus à Majoribus, minoribus Advocatus exstiteras
COLLEGA MAIOR.
Nam humilis, & inertis est sectari parva.
Tendit in alta virtus.
Scilicet: maximis operam daturus conatibus;
majore in dies campo indigebas.
Alter Sarmatiæ Literarius Macedo;
ut per Jagellonicum gloriosiùs triumphares Orbem,
una Tibi Minoris Domûs Provincia non suffecit.
Sic animo magno nil mâgnum est.
Vnde bene plenissimo ore, talem Te Cracia Thalia deprædicat,
qualem suum Asia, Æuropa extulerat Diodorum.
Orbis ille universas exhausit Scientias:
sed neq; Tu orbus ijsdem exstitisti.

Qui immensam Antiquitatum omnium amplitudinem,
optimè in proprio compendiâsti capite.
Assurgit satis in Applausus,
Præcelsa Tylicianæ Suadæ Professio;
dum tanto Nomini, ac Sapientiæ,
ipsa veluti Divina Tua pneumata, spirant in paginam encomia.
Neq; protensæ Schinotenes copiosam abbreviant materiem.
Latepatent certè amplissima Tuæ Eruditionis indicia,
resplendent illustres ingenij partus;
qui tot Illustrissimorum Heroûm,
vivaciorem demonstrarunt gloriam;
toties stupenda Maximorum Virorum produxerunt gesta.
Tandem a Ducibus ad ipsos accessisti Reges:
etiam hoc ipso Clarissimus;
quòd post Illustrissimos;
Serenissimi ac Invictissimi
olim Poloniarum Monarchæ,
IOANNIS III.
Semel, Regale Sceptrum, Fasces, diadema,
gemmeo encomiorum distinxeris apparatu.
iterum hodie
Serenissimi ac Potentissimi Regis, Patris Patriæ,
AVGVSTI II.
plausibili calamo Majestatem Augustam attigeris;
ut comprehensis Dynastis, ipsum etiam Deum apprehenderes.
Primam in Sacra Theologia Lauream ora tacent;
quàm benè Tuum coronavit verticem!
Puderet Iulios, Alexandros;
si Te non jam Olympicos, sed Morales Cursus viderent consumasse:
innumeros Septem Sacramentorum anfractus;
vel exinde gloriosiùs;
quia longiore tempore superasse.
Innotuit clariùs,
quævis, in tradendis singulis Tractatibus mora;
totis memoranda seculis:
ut, omnia cùm transeant, verba Tua, & doctrina sit seculorum.
Quidquid docueras, nihil sine Tuæ gloriæ materia fuit.
Quidquid protuleras, Professorem excesserat, Te non excessit.
Et hoc ipsum ad Tui Nominis immortalitatem suffecerat;
quòd Tuo animo nil suffecerit:
etiam
ita Sapientiæ curas impendisse, plusquam expediret.
Discat Orbis:
Summos labores, adeo magnâ nonnisi compensatos gloriâ mitigari.

Bene

Bene proinde ad laudem Tua Virtus nititur interrita clivo;
ut Doctoralem conſcendas Cathedram:
tandem poſt fervidos ingentium ſtudiorum æſtus;
ſub Lauream eiuſmodi inclines verticem uſtulatum.
Nempe: Virtutes, Merita, Sapientiam,
immortali præmio Theologici Honoris ornaturus.
Procul hinc gemmeæ cum aureis Coronæ cedant;
Palmaris Tua Laurea,
hucuſq; Tibi omnem ſervet vigorem;
& ab ingruentibus fatorum immunis fulminibus,
èóuſq; aſſurgat perennior;
quouſq; longiora Rupes Academicæ ſuperabunt ſecula:
Donec in Orbe Literario,
Sapientia meritorum fuerit

PRÆMIATRIX.

SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,

Magnifici Perilluſtris & Reverendiſsimi Domini,

D. M. SEBASTIANI PISKORSKI,

I. V. DOCTORIS, & PROFESSORIS,

Eccleſiarum, Cathedralis Cracovienſis, & Collegiatæ Vielunenſis CANONI-CI, SS. Omnium Crac: ARCHIDIACONI, Scholarum Novoduorſcianarum PROVISORIS, Studij Almæ Vniverſitatis Cracovienſis PROCANCELLARII, & Generalis, ac Vigilantiſsimi

RECTORIS.